



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus LI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

nec non diuitia, qua manibus continentur, quam  
 qua effinguntur somnio sapiamus, sed vita quoque  
 & exemplo, Intellectus enim bonus, omnibus facien-  
 tibus eum Pscl. 110. Cæterum pergit. Augu. in  
 Confes. Pereant hæc omnia, dimittamus, vana & in-  
 ania: conferamus nos ad solam inquisitionem verita-  
 tis. Vita hæc misera est, mors incerta, si subito obre-  
 pat quomodo exhibimus? Præcesserat, quod his sub-  
 jungo. Deputentur tempora, distribuantur horæ pro  
 salute animæ.



MODVS LI.

**R** Ei sub similitudine in Evangelio vel scripturâ  
 propositâ, proprietates assumuntur, ac seor-  
 sim, significato applicantur. E. gr. Dominica Se-  
 ptuag. sub similitudine operariorum ad vineam  
 vocatorum, diceret. Fideles ad Ecclesiam vocatos  
 intelligi tum de eorum officio per expensas labo-  
 rantium in vinea proprietates, agerēs: quales sunt,  
 Plantare, Purgare, Eradicare, Torcular premere,  
 quæ omnes, Christianæ institutioni essent appli-  
 candæ.

PRÆXIS.

Dominica VIII. à Pentecost.

*Laudavit Dominus villicum iniquitatis quod præ-  
 denter fecisset. Luc. 16.*

S

Acces-

**A**ccessus & Propositio. Cum ea villici iniqui prudentia hodie memoretur, quæ & laudem Domini meruit, & cæteris notam inussit, *Audiat enim. Filii hujus sæculi, prudentiores sunt filiis lucis, in generatione sua.* æquum est, ut in quo illa eluxerit, diligenter pensemus: quatenus, à vituperio insipientum coram æquissimo iudice liberemur.

Confirmatio, per proprietates, prudentiæ villici, ad nos relatas.

*Et prima quidem prudentiæ villici, proprietas est cogitatio, agnito recipiendæ villicationis, periculo, de ordinando statu suo in futurum suscepta. Quid inquit, faciam? Quia Dominus meus, aufert à me villicationem.* Præsentissimum imminenti-um malorum, aut præsidium, aut levamen, *Quid faciam?* Non est sapientis, dicere non putabam: quod in re quavis verum est, in re salutis æternæ verissimum. *Dormitantibus sponsis vox audita. Ecce sponsus venit, dormientibus etiam hominibus, inimicis homo superseminavit Zizania.* Tam faciles miseri ad somnum sumus, tamque negligentes futurorum, ut merito, Chrysol. Illud Serm. 39. usurpare liceat. *Hospes in domo est, morbus, pericula, mors, eternitas, & tu dormis? Quid faciunt qui se non in cubili, sed in ipso collocant sepulchro, qui se non somno, sed morti tradunt?* Rex Chaldaus Balthasar, in medio convivio scribentem dexteram, in pariete vidit, quæ illius pericula denotaret.

Ha-

Habuit ejus rei interpretem fidissimum Danielem, neque tamen quidquam ad vitanda pericula, egisse legitur. Idem Dario Nabuchodonozorique evenit, His plurimi similes. Quanquam innume- ris vocibus, ac exemplis de imminentibus malis, moneantur: in utramque aurem dormiunt. Quo- tus est, qui secum sedulo agat, mors imminet cer- ta, quid faciam? Hora ejus incerta, quid faciam. Reddenda ratio villicationis, quid faciam? sub- eunda sententia judiciis, quid faciam? à mo- mento pendet aeternitas. Quid faciam? Longe quam aliter David Psalm. 78. *Cogitavi dies anti- quos, & annos aeternos in mente habui.* Longe ali- ter, & Ethicus Seneca epist. 102. ad Lucol. *Juva- de aeternitate animarum querere. Credebam enim facile, opinionibus magnorum virorum, dabam me sibi tanta, jam eram fastidio mihi, jam reliquias eta- tis infracta contemnebam, in immensum illud tem- pus & in possessionem omnis aevi transiturus.* Heu si in his quoque filii saeculi, prudentiores sunt filiis lucis? *Secunda Prudentiae villici proprietates.* Quia mature periculis suis providit. Ad primas scili- cet minas, cum nondum, domino, rationum mo- nimenta in manus tradisset; convocatis debi- toribus, *Quantum, inquit debes Domino meo & c.* Quam procul illi ab hac prudentia? qui omnia in ulterius differunt, nec maturè rebus consulant.

Una pene ætate vixerunt, autore Flori. Reim. Christiernus, Rex Daniæ, & Augustus Poloniæ, quorum alter vulgi sensu, Rex hesternus, craftinus alter; dicebatur. Nimum quam multi hesterni, craftiniqui; homines, qui quod agendum est, aut in serum differunt, aut actores se fuisse antea profitentur, si agendum occurrisset, Qui propositum statim urgeant, qui pericula se eludere non posse credant: qui voci scripturæ monentis 94. Psal. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra attendant, paucissimi.* Tum solum hodierni esse amant, cum acclamatur, diabolico, ut ait D. Bonavent. in 2. Sap. invitatorio. *Venite fruamus bonis.* Refert D. Damia. Epist. ad B. Dominicum Loricatum, usitatum id Dei voluntate, Vesuvio: quod quando aliquis dives reprobus, in vicinia moriebatur, flammæ ingentes fundere consuevisset. Accidit igitur ut Abbati Desiderio inter ejusmodi incendia, apparerent aliquando dæmones, materiam multimodam, igni fovendo aptam colligentes: & in Vesuvium congerentes facti etiam sunt, qui essent; & cui incendia pararent præstolamur, inquietabant, Principem Capuæ Pandulphum, & Joannem Magistrum Militiæ Neapolitanæ. Misso nuncio compertum Principem dictum, illo tempore mortuum. Joannes autem Magister ab Abbate admonitus. *Nunc, respondit, obviam ibo Imperatori (Otho II. erat) porrò, post ejus adventum, spondeo me seculum deserturum.* Heu hominem in tantis periculis nimium incautum! ideoque perditum nam

nam ante Imperatoris adventum, cum 15. dies vix supervixisset, misere est extinctus. Idem memorat, Salernitanum Principem, cum vidisset Vesuvium exundantem, edixisse. *Sceleratum aliquem divitem, in proximo procul dubio moriturum, & ad infernum descensurum.* Dixit, nec sibi cavit, eademque nocte in scelere à morte interceptus. Vix ullus est, vix est in inferno, cui non hæc imprudentia nocuerit. Periculis maturè non occurrisse, quibus occurrens iniquitatis villicus, laudem meruit domini.

Tertia proprietas prudentiæ villici laudatæ est quia ad evadendum malum, quod metuebat; media quàm aptissima quæsit, deliberavit enim secum, an egestatem imminentem laboribus pellere posset, aut mendicationes & postquam conclusisset. *Fodere non valeo, mendicare erubesco,* tum verò id quod sibi uni unicè proficuū videbatur, eliget scio quid faciam &c. Daniel. c. 4. posteaquam Daniel Nebuchodonozeri interpretatus fuisset somnium, de arbore succisa, subdidit protinus. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum* Gen. 40. posteaquam Joseph famem imminentem Pharaoni prædixisset subdit pariter. *Nunc ergo provideat Rex, virum sapientem & industrium &c.* scilicet veræ prudentiæ certissima lex est, sine proposito, media ad eum consequendum apta prosequi. Quis navigat sine remo? quis bella gerit sine gladio? quis messem sperat sine semine? quis

botros, sine cultu? In omni naturæ opere prudentes, in salutis causa maximè stulti sumus: & cum finem nos intendere profiteamur, media aut deserimus, aut neglectim, & fortuita amplectimur. Quod medium certius naufrago, quam tabula? tabula pœnitētia est quā fugimus: quod vulneri, quā medicina? Medicina emendatio est, quam non curamus, quod ruituro jamjam parieti, propinquo, quā recessus? ruina ruinarum, mundus est, quem amplectimur. Huic socius, illi domus, officium, alteri causa ruinæ est. Clamat igitur Cyprian. lib. de spec. *Qui sponte corruit, quid faciet, si fuerit impulsus?* Monet rursus idem lib. de singular. Clericor. *Nunquam securus, cum Thesauro, latro tenetur inclusus: nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus: ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit.* Neque tamen his movemur, aut media periculorum evadendorum arripimus. Illa vero hac in parte stultitia maxima videtur, maximamque orbis partem occupavit, quod cum omnes ad beatam æternitatem se tendere velle dicant, & ad eandem, viæ sint diversissimæ, adeoque, alius alteri status ad id proficiuus aut nocivus sit turbatissimo ordine in vitæ pericula ruimus, aut parentum conditionem, aut fortunæ aspirantis ventos secuti, rarissimèque omnino cogitamus, an hac vel illa via æternitatem attingere possimus: atque ita mediis ad beatum finem obtinendum conformibus ommissis, ipsa beatitudine excidimus. Heu utinam vel  
 hic

hîc sapiamus ! Ubi una electione status, felix, aut  
infortunata eligitur æternitas.



## MODUS LII.

**A** Notatione seu Ethymologia nominis, quan-  
do scilicet origine nominis deducta, probe-  
tur id nominis rei convenire, vel non conve-  
nire. E. g. si in festo SS. Apostolorum Petri & Pau-  
li, D. Petrum esse veram solidamque petram pro-  
bes. 1. quod fundatam super se Ecclesiam susti-  
neat firmissimè. 2. quod adversariorum impetus  
retundat robustissimè, 3. quod quanquam cun-  
ctis emineat altissimè, radices tamen in terra per  
humilitatem agat robustissimas. Unde & D. Pe-  
trus capite ad terram verso, crucifigi voluit.

Ad Notationem, revocanda Anagrammata no-  
minum, quæ dum sint gravia. convenientem orato-  
ri sacro dabunt materiã. E. g. in Festo S. Casimiri  
M. D. L. Patroni, posset nomen ejus anagramma-  
ticè explicari. Casimirus *sum ac Iris* quod aptè il-  
li applicaveris, sive quod schismate sublato pacis  
inter Deum & Lithvaniã signum dici possit, unde  
& in Polonico idiomate nomen ejus olim pronun-  
tiabatur *Kazemirus* quod, autorè pacis significat,  
sive quod, ut Iris à sole ita ille à SS. Eucharistia, quã